

terpretatio, quæ hactenus in Ecclesia orthodoxa recepta, nec ab ullo orthodoxorum è versione Lutheri vel expuncta est, vel in ea mutata aut correcta?

*Quis in hoc themate) Docere & demonstrare, quod hæc, de qua contendimus, nuptiarum species à Mose non sit prohibita, si Papismus est, tūm plures orthodoxi Doctores sunt Papistæ.* Si nos Papismi defensi & interpolati laudem in hoc themate quærimus aut captamus: *Quid laudis captarunt orthodoxi Theologi & Icti eandem juxta nobiscum foventes opinionem? Ut ingenuè dicam, quod sentio; Maximè 33.* indoleo, tantâ ferociâ tantaque ignorâmodestia hanc rem ex adverlo agi, quam incomparabilis Theologus Balthasar Mentzerus senior tantâ cum circumpectione & modestia tractavit, cùm dixit, se modestè dissentire ab ea sententia, quam magni nonnulli fovent Theologi, scilicet à DEO non esse prohibitum hoc matrimonium. *Respons. naſtr. nu. 237.* Forsan & magni illi Theologi ex Papismi defensione laudem, & in mustaceo laureolam quæsiverunt. Apage!

*Apostolum quem cœli) Hoc loco nos incusat dedicatio Havemannii, ac 35.* si nobis tribuamus officium ac munia Apostolorum, Prophetarum, & facultatem loquendi linguis atq; interpretandi scripturam. Nescio an ingenuè, & ex animo! Optandum eslet cum viro DEI Mose, utinam 36. totus populus Jehovæ esent Prophetæ, indente Jehovah spiritum suum illis. *Numer. cap. XI. vſ. 29.* Ita verum foret quod ironicè adserit dedicatio, omnes esse Prophetas. Et fortè nobis etiam de istis donis, quæ soli suo autori tribuere videtur dedicatio, aliquid relinqueretur. Nihilominus speramus Dn. Havemannum nos non ire damnatum Anabaptistas, & Fanaticos ex hac causa, quod sacra biblia eorumq; versiones & interpretationes à viris te fortè nec inferioribus nec rudioribus nobis relictas in Ecclesia DEI receptas legere, intelligere & ex illis rectè colligere didicimus. Hoc autem neq; ad Apostolorum munus, neque ad spiritus Propheticos, neq; ad dona loquendi linguis & interpretandi sacra DEI dogmata pertinet. Quamvis dona legendi, intelligendi & 37. ex intellectis rectè colligendi ab eodem DEI spiritu procedant, à quo reliqua, per textum ex adverso citatum. *1. Corintb. cap. XII. vers. 4. seqq.* Evidenter DEO opt. max. gratias, prout decet, habemus maximas pro minoribus illis à se in nos collatis donis, majora aliis neq; invidentes neq; exprobrantes, memores Christianam charitatem id vel maximè prohibere in textu ex adverso citato proximo. *1. Corintb. cap. XIII. vers. 4. seqq.* 38.